Nobilissimo viro Constantino Hugenio
Equiti

Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Omnis, qui sive ad Pembrociae Comitem, sive ad Oldiswortsum dirigitur, sermo Eucharisticus, Hugeni dilectissime,
A te principium, tibi desinet.

Unus enim tu horum omnium mihi favorem gratiamque conciliasti, dum nec domi nec foris me illaudatum sinis, et facundiam tuam in laudes hominis nullo tibi merito obstricti liberalius diffundis. Sunt profecto haec non levia sortis meae solatia, quod hac sterili amicorum aetate, benevolentia tua me dignum judicaveris, et istorum qualiumcunque ingenii mei proventum aequo animo exceperis. Amant applausum Camoenae, et magnorum virorum suffragatione laetius frontem exporrigunt. Sed utinam alia ratione, quam litterarum officio, et gratiarum actione, gratitudinem meam testari possem. Sed nec excelsa tua indoles requirit aliud redhostimentum, nec patitur fortunae meae tenuitas, ut paria tibi officia praestem. Unum hoc superest, ut meritorum tuorum memoriam religiose conservem; et diligentius aliquando excutiam vires patrimonii, quod Apollinis dono, mihi obtigit: ut si lege mutui mecum experiri aliquando in animum inducas, [honesta virtutum tuarum praedicatione mea apud te nomina expungam. Consulis, ut Comitem Pembrociae et Oldiswortsum singulos singulis litteris compellem. Feci, ut potui, nec consilio tuo illibenter obsecutus sum. Mitto apertas, ut si quid forte in iis reperias genio gentis minus conveniens, aut quod aulae clientes et purpurae cultores corrugare queat, libere indices. Num inscriptio quoque quidquam deroget honori istorum virorum adverte. Nec enim adsuevi istos heros affari.

Vale vir clarissime et me amare persevera.

XVII Kalend. Jun. MDCXXVI. Lugd. Batavor.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/316

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/316

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/316

Nobiliſſimo Viro
D. Constantino Hugenio
Equiti Principi Auriaco
à Secretis

Hagam,

25. May 28.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/316